DE MAXILLAE INFERIORIS DIVARICATIONE TETANOIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXI. M. APRILIS A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. GUIL. JULIUS KIRSCHNER,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

E. LAU, MED. DR.
A. BERGER, MED. DD.
C. GEISLER, STUD. MED.

BEROLINI
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

GENEROSO, MAXIME REVERENDO,

DOCTISSIMO

FRIDER. SCHAEFFER,

UTERIUSQUE MEDICINAE DOCTORI SILESIAE COLLEGII
RERUM MEDICINALIUM ADSESSORI ETC.

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Me medicinae tironem multum novi haud scribere posse intelligens ac multa concinnandi, et vires et occasionem deesse, ut materiam, quae ad dissertationem conscribendam congrua sit, ex immensa rerum medicarum caterva sumam, morbi historiam delegi, quia haec materia minus anceps est, omninoque per se aliquid novi affert.

Ceterum autores de hac re disserentes laudavi, quod ad hanc materiam bene dirimendam sane necessarium mihi esse videbatur.

Charlotte Lehmann, puella annorum viginti trium, constitutionis robustae, temperamenti sanguinei, quae ante annos quinque menstruorum introitum adhuc exspectaverat, subito, nulla causa evidente praegressa, spasmis, secundum ipsius descriptionem, epilepticis, iterum iterumque inter paucorum dierum spatium percruciabatur, ut sanitatis restituendae causa in Charitatis nosocomium se conferret.

Omnia certe remedia contra epilepsiam laudata, hic in usum vocata sunt, etiamque magnetismus non omissus est. Quibus vero ipsa suppresso morbi impetu etiamque recuperata integrae valetudinis spe, dimissa est. Re vera annum et ultra ab omni epilepsiae invasione libera vixit extra nosocomium, serius tamen secundo hoc petiit,

ubi dunuo recepta, aegrotorum curaticis munere per aliquot annos functa est. Per hoc tempus venaesectiones interdum instituebantur, quae quidem cum aliis remediis internis paroxysmos epilepticos diminuebant, verum tamen integritatem restituere non poterant.

Aestatis anni MDCCCXXIV. calidissimo die, quinto Septembris, sub vesperum Nostra cum amatore vestibus levibus induta, in locum saltatorium a nosocomio haud remotum venit, ibique exiguo, ut dicit, spirituosorum usu simul incitata, usque ad sudoris universalis eruptionem saltabat. Cum vero immodeste atque procaciter amatorem tractaret et in eum convicia plurima funderet, alapam coram tota sultatorum turba accepit, qua ita afficiebatur, ut concideret et convulsionibus totius corporis cum clamore alte sonante coniunctis, occuparetur. Ne vero mentis inops ibi remaneret neve aer frigidus ad restaurationem ei detraheretur, vestibus solutis in hortum translata atque in terra rore humida deposita est. Hinc accidit, ut aegrota, mente reddita, domicilium petere tentaret. Iterum autem de potestate mentis exivit atque novis convulsionibus, et cum diutius in horto commorata esset, totius corporis rigore correpta est. Circa horam secundam alterius diei torpida rigescens domum ferebatur, in qua,

remediis vivificiantibus adhibitis, rursus mentem recepit, simul autem, se maxillam inferiorem, quae sesquipollices a superiore dehiscebat, movere non posse, animadvertit. Tanta fuit maxillarum divaricatio, ut maxima vis eorum, qui eas committere tentabant, non sufficeret. Accuratiori facta exploratione, persuasum omnes nobis habebamus, mundibulae luxationem, quae habita causae occasionalis ratione suspecta esset, minime adesse, nam neque in illa parte, ubi maxillae condyli locum tenent, fossas, neque processus coronoideos in genas prominentes, neque dentium maxillae inferioris dislocationem ad superiores, neque maxillae ipsius eminentiam observavimus. Musculi, qui mandibulam inferiorem elevant, musculi temporales et masseteres rigidi fuerunt et tacti dolebant, aeque ac musculi, qui motum oppositum praestant, nempe digastrici, mylohyoidei et geniohyoidei. Sic et musculi collum moventes dolebant, minus vero, quam ut colli motum omnino impedirent.

Lingua, durantibus spasmis clonicis saepius ad oesophagum revoluta et tandem, quia suffocationis periculum imminebat, specilli ope in situm normalem redacta, quam diu os opertum erat, immobilis in eodem statu tenebatur, ita ut, et ad soni formationem et ad fluidorum degluti-

tionem inepta esset. Pulsus duriusculus, subfrequens tangebatur, respiratio anhelosa, pupilla parum dilatata, lingua sicca erat, ceterae functiones satis cedebant, ne quid memoratu dignum inde fierit. Cum quodque deglutitiendi conamen irritum esset ac tali modo proximum iter, quo organismo medicamina induci potuissent, impervium inveniretur, ad remediorum adplicationem externam confugerunt, inunctiones loci affecti e linimento volatili cum unguento Hydrargyri cinerei, cataplasmata emollentia narcotica et balnea calida in usum vocata sunt; quaecunque vero aegrotae statum meliorem non reddebant etiamque morbi incremento fines imponere non poterant.

Die VII. Sept. praescripta sunt, ad clysma herbae Digitalis infusum, ad inunctionem linimentum volatile cum tinctura Opii, die VIII Sept. clysmata ex Asa foetida.

Ut lingua, cuius ariditas in dies magis magisque augebatur, humectaretur et sitis intolerabilis minueretur, rotulae de Citro saccharatae, serius spongiolae vino perfusae in ore aperto ponebantur, ac cum corporis mutritio iam depravata esset, clysmatibus antispasmodicis lactea addebantur, quibus alvus laxa non obtinebatur. In balneo paenultimo, aegrotarum famula lipothymiam se vidisse refert. Quidquid veri huic indicio insit, scire tamen sufficiat, ut periculum recte iu-

dicetur, quomodo die quarto ab morbi initio aegrota sit inventa, cum de eius salute, vespertina visitatione consuleretur.

Ecce iacentem, quae remedia omnia incassum adhibita viderat, uti, voce privata, oculis manibusque auxilium petens, increscentis periculi memor, de bona salute desperat. Profecto misera fuit, adspectusque vehementissime animum percussit, nam fame sitique exhausta collabi iam incipiebat facies, massa crustacea nigraque linguam, dentes ac labia obduxit, foetorem cadaveri similem iam diu sparsit, sudore frigido frons cooperta, cutis ceterarum partium sicca, respiratio aucta, alvi excretio impedita.

Prae omnibus autem misera anxietate et insomnia premebatur, quae cum praecordiorum sensu peculiari intolerabili, forsan ex ventriculo vacuo prodeunte, connexae erant. Ut vero omnia in usum vocarentur, quae fortasse bonum effectum praebere possent, experientissimus Dr. Betschler magnetismum animalem commendavit, quem expriementi causa eo magis adhibere cupiebam, quo minus eum aliquid praestiturum essse credebam. Mox autem certior factus fui, sine dubio meliorem status inde evasurum esse, atque fortasse leviorem morbi mutationem subsecu-

turam. Pollicum enim ope, ceteris digitis ad maxillae inferioris latus positis, ductus quosdam ad longitudinem musculorum affectorum feci atque spatium intermaxillare paululum angustius reddi coepit. Nunc animam et fidem recepi et magnetismum porro adhibere studui, id tamen cogitans, certe maiorem inde proficisci debere utilitatem, si animi hilaritas simul adiungeretur, et hunc ad finem maioribus, quam par est, promissionibus, exempli gratia: eam hora decima elapsa lingua optime usuram esse, consulatus sum. Quanta fuerit aegrotae hanc in methodum fiducia, ex eo elucet, quod maxima vi ac potestate, cum in alterum lecti latus transire vellem, manus meas prensaret, me discessurum esse putans. Eadem ratione musculos tractare et quasi mulcere pergebam manusque circa aegrotae collum ponebam, quod ei, uti ex vultu eius et desiderio mei prodibat, ingratum esse non poterat. Interposita hora maxilla inferior superiori tertia parte propior, sed neque ad latus inferius, neque ad superius mobilis fuit. Cubiculo per aliquod tempus relicto, me redeumtem gestibus certiorem fecit aegrota, manepulationes alius, qui idem proferre tentaverat, omni effectu destitutas esse.

Peractis a me iterum in eadem regione ductibus, musculos laxiores reddi atque invicem ad

propinquare animadverti, maxillae motus tamen nondum voluntati propriae subiectus erat, solummodo vi manibus adhibita ad punctum quoddam lateris superioris aeque ac inferioris maxillae adduci poterant. Quibus periculis multis vicibus repetitis tandem eo perveni, ut dentes dentibus admoverentur. Exinde, cum mihi, ob maxillae divaricationem difficilem, in mentem venisset, in musculis pollicum ope motum contrarium proferre, faciei ac labiorum, primo pulpitationes exiguas, porro autem mirabilem spasmi lusum in facie observavi, qui tertio experimento denique facto in convulsiones horribiles, inter quos corpus inormen in modum curvabatur animaque etiam deficiebat, transgrediebatur.

Cum vero mox animam recepisset, omnes uno fere momento functiones restitutae sunt, sic deglutire ac lingua ita uti potuit, ut verbis clare pronuntiatis de praegressa anxietate et plane intolerabili affectione loqueretur. Nibil reliquum fuit quam ut ventriculus, quem aegrota quasi inius- tam peculiaris sensus ingrati sedem accusabat, sensim sensimque cibis accipiendis adsuefieret, quem in finem mitigantia, nutrientia ac roboran- praespripta sunt, quorum usu aegrota ad eum valetudinis gradum ducebatur, ut die XX Septembris pristino ministerio fungi posset.

Ex eo inde tempore aegrota tribus paroxysmis epilepticis infestabatur, sine phaenomenis notatu dignis et medicaminum usu disparentibus.

Quod attinet ad huius morbi genesin, excepta causa proxima, quam alibi 1 — 6) satis tritam omittere liceat, certe neminem momenta causalia latent, quanta enim sit epelepticis praesertim mulieribus dispositio, ut quodvis morborum spasmodicorum genus proferant, cuique lectorum satis notum est, nec minus refrigerium hominis iam ex ira ad spasmum proni, cuius fervet et anima et corpus, causis occasionalibus evidentoribus, spasmos tonicos ducentibus, adnumerari. Eodem modo sine manifesta expositione haud defficile est intellectu, quid proprii et observatione digni secum tulerit morbi decursus et exitus. Iam quod spectat ad ultimam medendi rationem, an haec revera spasmum localem tonicum in universales clonicos converterit, an talis metaschema-

1) Trnka de Kr'zowitz commentarius de tetano Vindobonae 1777. §. 67.

2) Ioh. Christ. Starke commentatio theoretico-practica eiuspue speciebus. Ienae 1781. §. 4.

3) Reil Fieberlehre 2. Ausg. Halle 1805. 4. Bd. §. 109.

4) Stütz Abhndl. über den Staarkrampf. Stuttg. 1804.

5) Schaal dissertatio de tetano. Berl. 1820. p. 20.

6) Haase. üb. Erknts. u. Kur der chronis. Krankh. 2 B. Lpz. 1820.

tismus pro casu habendus sit, an, si quid illa methodus praestiterit, contactui mechanico aut dynamico, adscribendum sit, nec ne, quisque secundum suam ipsius opinionem dirimat.

Hisce missis, annotare liceat quae ad nosographiam spestant.

Diversis in morbis spasmodicis, quibus aut accedit trismus, aut quorum est symptoma constans, praesertim morbo oriente os non ex toto occlusum esse etiamque exempla divarisationis, cum agglutinutione brevi tempore alternantis (trismi clonici) 7-8) haud deesse, ubique narrant auctores, observationem vero, quae in certum quendam casum, dies plures occupantem, referenda sit, reperire non potui, excepta morbi historia de adolescente, qnam recitat Trnka, 9) cuius relatis verbotenus uti liceat, quia omnia huc pertinent adque usque eius aetatem melius concinnata sunt, quam equidem collocare possim. Dixit nempe antea data divisione tetani, ratione corporis figurae.

---

7) Ioh. Chr. Cottl. Ackermann de trisco commentatio medica. Göttng. 1775. §. 5.

8) Stark, Commentatio de Tetano eiusque speciebus Iena. 1781 praefaminis p. XX.

9) Trnka. §. 19.

„Trismus tonicus omnibus his modo dictis tetani figuris individuus est comes, quemadmodum universae id toto hoc opere passim in medium allatae omnis aevi historiae confirmant. Dubitari quidem posset, communiter ne opisthotonum trismus, an rarius comitetur; siquidem in illo, ut Aretaeus a) asserit, „maxilla inferior plerumque dehiscit, et raro cum superiore committitur"? Verum quid hac Aretaei sententia faciendum sit, ingenue fateor, me post diuturnam licet eiusdem meditationem prorsus ignorare; nam neque veterum quisquam alius neque nostrae aetatis ullus observator, quos mihi consulere licuit, huius phaenomeni meminit: imo multo potius trismum cum opisthotono tum Cous b) tum ceteri omnes constanter viderunt societatem. An forte verba Aretaei trismum quidem praesentem, sed imperfectum innuunt, ita ut in opisthotono vel spasmus ipse musculorum maxillae alibi c) dictorum nunquam tantus sit, qui maxillas ex integro committat, vel spasmus musculorum caput posttrorsum trahentium validior exactam earundem constrictionem impediat? Ne id quidem; utrumque enim trismi per-

---

a) De causi et signis acutorum morborum. L. 1. c. 6.
b) De intern. affectionib. Foes. T. 1.
c) Trnka. §. 14.

fectissimi in opisthotono utcunque vehementi non raro visi historiae repudiant. Tertium quid restat etiam, nimirium nun non Aretaeus aut trismum cum luxatione mandibulae complicatum, aut musculorum maxillae dictorum paralysin intelligat? Neutrum sane. Nam cum maxillam plerumque dehiscere dicat, neutrum vero plerumque accedat, neque prius neque posterius locum habere potest. Quid quod ne concipi quidem possit, qua ratione hic luxatio maxillae antrorsum ab opisthotonico spasmo contingere queat? Nam textus Hipporc. d) εν τοῖσι τετανοισι καὶ ὀπισθοτόνοισι γενυες λυομεναι θανάσιμον,) versio ab L. Dureto e) facta „in tetano et opisthotono maxillas luxari funestum“ me non moratur, ut quae tam falsa sit, quam luxatio impossibilis. Adeone ista impossibilis? en eius exemplum! Iuvenis ob luxationem maxillae, ad quam tetanus cervicis accessit, in nosocomium illatus est. Malum hoc a punctura nervi in brachio sub venaesectione profectum est. Tentatis octiduo cunctis consuetis medendi methodis absque successu, tandem a D. Manget f) frictionibus mercurialibus est servatus.

d) Coac. Praenotat. N. 361.
e) Comm. in Hipocr. l. 2.
f) Medic. Comment. von einer Gesellsch. d. Aerzte zu Edinburgh. 1. Th. 3 St. 2 Abhndl. 2. Art. 3. Fall. p. 355.

B

Verum enimvero nisi malo quodam errore auctoris e calamo tetani maxillae loco luxatio eiusdem profluxit, (quod humanum,) mirari cum novam luxationis causam, sc. nervum puuctum remota in parte, tum insolentem mercurii in luxationibus reponendis efficaciam satis non valerem; nam de repositione luxatae maxillae in historia tota ne verbum, nisi quod consuetae medendi methodi fuerint irritae. Idcirco neque historia haec L. Dureti versioni neque haec Aretaei sententiae quidquam lucis adfundit, praesertim cum Foesiana textus illius Hippocratici interpretatio potior sit, nempe: „in nervorum distentionibus, et iis, quae in posteriorem partem fiunt, dissolutae maxillae mortem afferunt;“ quippe cui observata quoque clinica suffragentur, ut alibi g) videbimus.“

Ex his omnibus iure meritoque conclud posse credo.

1, Aretaei de opisthotono observatione et rares et vel in morbi innitio vel ad finem paul ante mortem factas esse, quo tempore saepius maxill modo paralytico dehiscit, quo certe etiam Hippocratis sententia referenda est.

---

g) Trnk. §. 86.

2. Adolescentem quem recitat Trnka, ab Dr. Manget, frictionibus mercurialibus a luxatione liberatum, eodem morbo ac aegrota, de qua disserui, laborasse et solummodo causam ac tempus aliud fuisse.

Nunc ad rencentiores me convertam, imprimis ad Starkium 9) qui, ni fallor, primo trismum, cuius sub nomine adhuc generatim connexum tantum maxillarum spasmodicum intelligendum esse censebant auctores, in maxillae inferioris agglutinationem (Mundklemme) et divaricationem (Mundsperre*) dividit, nullam tamen morbi concreti historiam profert, uti eius coaevi Richter, Stütz, Haase etc. qui, dum de tetano ac trismo verba faciunt, haec vocabula commemorare haud neglexerunt. Neminem vero medicorum francogallicorum de hac maxillae affectione disserentem inveni; commemorare tamen liceat, Baradet 10) morbum, solummodo quoad formam similem, per se autem notatu dignissimum observasse.

---

10) Ioh. Chr. Stark's Handb. zur Kntns. u. Heilung. innerer Krankhn. etc 2. Th. Iena. 1800 § 69

11) Entwurf eines Untchts. ü. die den amerikanischen Kolonien zahlreiche und unter dem Namen Tetanos bekannte Starrsucht a. d. Franzschn. v. Dr. Metzler. Abgd. in Baldingers neuem Magazine f. Aerzte Lpz.

*) vid. p. 20.

Loco citato, non confundendus dicitur tetanus (Mundsperre) cum quadam affectione infantum, quae uti ferunt saepe e tractatione turpi matrum, nutricum aut aliorum hominum pravorum, pressione quadam maxillae articulationis, qua ipsa luxatur, exoritur, neque palpitationibus, neque trismo (Mundsperre *) in conspectum venientibus, ore imo etiam aperto.

*) Significant ibi autores illi eodem nomine, ratione figurae habita, maxillae statum contrarium, quod certe de verbo germanico sperren derivare licet, quia hoc et aperire et occuludere denotat, prout praeponitur syllaba auf aut zu. Operae igitur pretium videtur, ut illae praepositiones interponantur: Mundaufsperre — Mundzusperre, ne, ut saepius iam evinit, interpretatio aliena inde prodeat.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS UNIVERSITATIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Carolus Guilelmus Iulius Kirschner, Friedlandiae, Silesio oppido anno MDCCCII natus sum, patre chirurgo. Anno MDCCCXVI gymnasium Suiditiense triennioque elapso Vratetlaviense adii, inde anno MCCCXX ab Instituto medico chirurgico, Friderico-Guilelmiano inter alumnos receptus, per quadrienium his interfui lectionibus.

In rebus philosophicis Cel. Wolff audivi: Ab Ill. Rudolphi encyclopaediae medicae, anatomes universae nec non organorum sensuum, entozoologiae, physiologiae et anatomiae comparatae praecepta accepi; de botanice et historia naturali Ill. Link. de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, arte formulas medicas concinnandi et anthropologia forensi Ill. Knape. de chemia, physice et pharmacia Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte disserentes audivi. In arte mortuorum corpora incidendi Ill. Rudolphi et Knape praeceptoribus gavisus sum, pathologiam generalem et semioticen Cel. Fr. Hufeland, materiam medicam Cel. Osan, pathologiam specialem Ill. Horn., therapiam generalem ac specia-

lem Ill. W. Hufeland Horn et Cel. Fr. Hufeland mihi tradiderunt. Ill Graefe Rust et Cel. Kluge opperationum chirurgicarum cursum nec minus chirurgiam tam generalem quam specialem mihi illustraverunt. Interfui Scholis Cel. Kluge de arte obstetricia praeceptis. Scholas clinas et medicas et chirurgicas Ill. Hufeland Cel. Neuman Ill. Graefe Rust et Cel. Kluge frequentavi.

Studiis his peractis in caritatis nosocomio medici inferioris per annum munere functus sum.

Iam vero peracto studiorum cursu ac tentamine examineque rigoroso coram gratiosa medicorum ordine legitime absolutis, spero fore, ut, dissertatione conscripta publiceque defensa, summos medicinae et chirurgiae honores impetraturus sim.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Venaesectio non remedium antiphlogisticum.

II.

Symptomata quarumdam inflammationum ac spasmorum eadem esse censeo.

III.

Morbi evolutionis non existunt.

IV.

Non unaquaeque cranii fissura modiolum requirit.